



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Politicorvm Libri Decem**

**Contzen, Adam**

**Colonia, [1621]**

Cap. XIV. Professoribus & studiosis priuilegia danda, & quæ conueniant.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Academiae  
splendorem  
conciat  
urbium ma-  
gnitudo.

viante annum Serenissimus Leopoldus Archidux Austriae, antistes Argentoratensis & Passauensis, novam Academiam extruxit. Vt Padiborna, vbi Welfphalorum ingeniosa, & gnaua genti Reuerendissimus Episcopus, & Illustris Princeps Theodorus publicum Gymnasium fundauit. Neceffe est aut loci esse aliquam celebritatem. Quae non ex ciuium multitudine duntaxat, sed ex principum, atque aulae praesentia, ex cleri illustri doctrina, & splendore consequitur. Neque enim quisquam sine risu Bionis Boristhenitae vanitatem meminisse potest, qui ut Scholae auctoritatem compararet, nauticam plebem Scholasticis indutam vestimentis in Gymnasium traxit. Quantum ille aberat ab ea, quam docebat, philosophia? Virorum igitur doctorum, & honoratorum in urbibus Academicis frequentia postulo. Haec enim res facit, ut morum ciuitatem, communitatemque cum literis imbibant adolescentes. Deinde professores ipsi in luce reipublicae maiore diligentia, dignitate, alacritate difficilimum docendi munus ob-eunt, quaque caute prudentia suadet, in oculis magnatum, ac censorum euitant. Denique cum honos aliarum artes, omnes autem Academiae dignitatem, atque honorum diuersos gradus inter suos partiantur, non est eorum nisi in magnis urbibus, aut coram principum, nobiliumque confessu aestimatio.

## CAPVT XIV.

Professoribus et studiosis priuilegia danda,  
et quae conueniant.

Priuilegia  
praecipua  
studio sapi-  
entiae debentur.

§. 1. Priuilegia priuatorum, non sunt detrimenta Reipublicae. & multorum fortibus viris inuidente malignitate obiectari solet. Cum enim in iustitia, medium non ex analogia arithmetica constituitur, ut tantum habeat Titus, quantum Caius, sed Geometrico censu, ut ea sit laborum, & periculorum Titum remuneratio, quae est Caii, & pro magnitudine operis, & personae dignitate merces reddatur, non est iniquum inaequalibus, dare inaequalia. Cum vero inter omnia humana, sapientiae studia, primum sibi locum vendicent, magno honore, & immunitatibus ornata sunt. Si igitur laurea decernitur victori, si victus in Prytaneo, si immunitas a vectigalibus, si alia ad fortitudinem inuitamenta; quanta est habenda cura sapientiae, quae fortitudo, caeteraque virtutes reguntur? Priuilegia porro sunt vel locorum, vel studiorum, & professorum in locis priuilegiatis, ut vocant, operam studiis nauatium. Vtraque rerum, & personarum. Omnia merito conceduntur, nam & ciues quibus Academia committitur, honoratos esse par est, ut erga eruditos, studia, studiososque recte afficiantur, potest illis & velint, & possint.

Priuilegia  
locorum, &  
persona-  
rum.

Athenien-  
sium priuilegia.

§. 2. Primum quidem est, ut commodis, libertatibusque prospiciatur urbibus Academicis. Athenienses multis donatos priuilegiis fuisse historia refert. Amisso enim imperio Graeciae, & libertate, multo quietius sub Romanorum imperio, literarum praesidio, quam cum suis legibus viuerent, floruerunt. Praecipue eos fouit Adrianus, qui pecunia, frumentoque annuo, studia eorum honorauit, qui Chephalemam donauit, ita Dio Cassius, Sex. Aur. Victor. Sed vicerat iam olim Adriani munificentiam Demetrius, qui defectione eorum, & dictis offensus, frumentaria tamen largitione, pressos inopia leuauit. Inciuius iniurias suas ultus est Seuerus imperator, qui priuilegia eorum imminuit.

Quae priuilegia  
urbium  
Academicarum.

Dignitas.

Possunt ergo omnia, quae pro ratione nationis, opidorumque natura negotiis, & situ, ornare, & augere Academicam urbem valent, concedi, qualia sunt: Parrogatiua dignitatis inter alia oppida, cum enim senatum Academicum sapientissimum ex Theologis, Iurisperitis, Medicis Philosophis, conscriptum contineant, non est dubium urbicam quoque curiam consuetudine doctissimorum virorum, & con-

silio sapienter fore. Deinde quorundam vectigalium immunitatem, praesertim, quae annonam, & comestus grauari solent, permittenda arbitror. Generale est enim hoc, ut in varias nationes impensum beneficium. Itaque quemadmodum nobilissima Germanici regni sedes Augustanum, toto imperio negociandi libertate, portiorumque immunitatem accepit, quod Augusti Imperatores habitationem ibi collocaissent, ita quoque benignitas principis requirit, ut urbem, quaeque sapientia, virtutis, literarumque domicilium esse voluit, quasi pater nullo fisci damno magnificentius sustentetur, quod tamen detrimentum, numerosa studiorum multitudo alio modo compensabit. Tertio, si principi integrum non est totius Reipublicae indulgere, in eos tamen potest esse liberalior, quorum in adibus, victusque studiosi diuersantur; sic enim futurum est, ut minore sumptu, & honestiora hospitia consequatur.

§. 2. Secundum priuilegium est, ut destinato ciuitatis, vno, alteroue loco, & publice artes doceantur. Id omnino necessarium videtur; Magni enim errores priuati, ac clancularii doctores, qui omnes mercenarii sunt, inducere possunt. Theodosius & Valens, veterunt alio loco Romae doceri, quam in capitolio. L. vni. de li. stud. urb. Romae l. 2. c. 18. Nec priuilegiis uti posse iudico, nisi eos, qui publico loco, publice docerent.

Iulianus sane Alexandrinus, & Caesariensis professio iuris Ciuiilis interdixit, quod indocti lucro inhiantes, iuuentutem prauis opinionibus imbuerent.

§. 4. Doceri etiam in monasteriis, & a religiosis, scientiae possunt. Atque ita olim in vfu fuit. Trithemius libro de laude scriptorum Manual. ca. 16. Nec oportet vos propter studium monasterium deferere: quia vnde proficiatis, domi potestis inuenire. Multos enim doctissimos monachos olim in ordine nostro claruisse cognouimus: quos tantum in caenobiis studuisse scimus. Beda presbyter, & monachus vnde cumque peritissimus, septennis caenobio traditus fuit: in quo quicquid scripturarum didicit, hausit. Cuius discipuli fuerunt inter ceteros eruditissimi. Alcuinus pceptor postea Caroli magni, Claudius, & Ioannes Scotus monachi, in omni doctrina tam diuina, quam seculari excellentes. Graeco & latino sermone instructi: quorum multa praeciosa extant opuscula: Rabanus Abbas, & Moguntinus Archiepiscopus pene adhuc puer Fuldensi monasterio traditur: qui quantum in omni scientia profecerit, eius volumina testantur. Hunc tamen Abbas suus Fuldensis studii causa, in Fraciam misit ad Alcuinum Abbatem, cuius iam fecimus mentionem, sub cuius magisterio, multis annis perseuerauit in caenobio. Strabus monachus Fuldensis, discipulus, & scriba Rabani Abbatis fuisse dicitur: qui iuuenis caenobio datus, doctor insignis effulsit. Sic Haymo, sic Norgerus, sic Hermannus Contractus, sic alii pene innumerabiles monachi doctores excellentes sunt habiti: qui sub regula S. Benedicti humiliter conuersantes, caenobia pro Gymnasiis habuerunt. Nec dicimus illis defuisse magistros, qui aliorum preceptores habiti sunt. Magistros omnino habuerunt: sed monachos, & regularis vitae consocios, qui eos non minus vita, quam doctrina instruebant. Nos quoque, magistros forsitan inueniremus: si vellemus esse discipuli. Nisi enim humilitas, & amor scripturarum mutuo sibi consentiant: monachorum studia nec expediunt ordini, nec proficiunt. Amor enim scripturarum sine humilitate, regularis vitae disciplinam destruit: humilitas sine amore, ad scientiam earundem non peringit. Qui ergo in caenobio doctus fieri desiderat: hac duo inuolabiler conseruet. Imitemur S. Patres, diuinis scripturis cum humili amore insistentes: & quod illis gratia diuina contulit, nobis orantibus, & legentibus sedule non negabit. Quanto enim quisque in lectione assiduus fuerit, tanto fructum ex eis vberiore capiet. Fructus autem, quem in Sacris scripturis quarimus, amor Dei, & proximi est, & nostri agnitio piissimi Saluatoris.

Ea causa plerumque studia Theologica ad religiosas domos, aut personas esse delatas, hodieque videmus. Olim quoque Gregorius magnus, ab haereticis Pelagianis, Britannias repurgauit, sacras lectiones monasteriis delegando. Nec abhorrent ab eorum instituto, rationes. *Non debet religio sum doceri, Theologia vel ea qua ad campum*

Publica se docentium industria, ne vel bona, vel mala lateant.

Olim in monasteriis doctissimi viri fuerunt

Non debet religio sum doceri, Theologia vel ea qua ad campum

stationes literarum, quia præter Iuris prudentiam, & medicinam ceteræ scientiæ referti solent ad Theologiam, quamquam vix Theologus esse sine generali legum cognitione quisquam potest.

§. 5. Non ignoro professionem Monachorum, & asceteriorum diuinas occupationes, varietati scientiarum, quæ in Academiis docentur, aliquando aduersari, ut Carolus magnus recte censuit: in addit. Capit. c. 45. Verum cum ad sacras conciones, ad rerum conservandarum, regendarumque curam multi applicare se coguntur, cum Abbates plurimi provincias administrant, populosque subiectos gubernent, stationem suam, dignitatemque in imperio habeant, non debet alienum videri a seruo Dei, a viro religioso, ab Eremita cœnobii, in tanta piorum magistrorum penuria, Grammaticis, poetis, eloquentiam, Philosophiam profiteri, ut hac occasione pietatem teneris animis infundat. Olim sane magnatum filii, non ad pietatem magis, quam omnem eruditionem egregie instituebantur. Fieri n. monasteria vsque ad annum Domini 1200. ferme sola literarum domicilia. Ab eo enim tempore Academiæ institutæ sunt, & monasteriorum disciplina lapsa est. Clericis etiam iuris Civilis studium sæpe interdum utile est, sed de his alius agendi locus est.

§. 6. Personarum privilegia, hoc est professorum & studiosorum plurima in variis Academiis constituta sunt. Tum ratione dignitatis, tum quia maior studiosorum pars peregrini sunt. Quantis vero iniuriis illi obnoxii sunt, dum adolescentes patria, & cognatis procul alieno iure viuere coguntur, nemo ignorat: multorum paupertas, miseratione digna est, aliorum nobilitas itinere periculis, fraudatorum, & cambiorum sæpe dolis destituitur, quibus omnibus nisi legum benignitate succurratur, necesse est à studiis, à sapientia discenda, & æstimanda omnes auerti. Qui vero labores studiorum estimare possit, nemo præter studiosos est. Habent fateor ingeniosi in tractatione studiorum magnâ, & quæ omnibus humanis voluptatibus maior sit, delectationem, quam ob causam studiosis, & laboriosis adolescentibus facile est esse castis; illa tamen mentis iucundissima recreatio, sensum valetudinē, atque adeo hominem ipsum, quasi febris quædam erogat. Nam reuera melancholiam, rheumatia, capitis, pectoris, & vitaliū morbos, variaque symptomata producit. Adeo ut peculiarem quandam studiosis dietam, medicorum præstantissimi præscribant. Has ob causas plurima rogatis doctoribus privilegia principes contulerunt.

§. 7. Primum privilegium est, ut professores, & studiosi in plectis; causis, vel in omnibus exempti sint à iurisdictione ordinarii prioris, seu iudicis sed suum habeant senatum, iudicemque; atque ita quamuis in vrbe sit Academia, ipsa tamē suo iure, quasi priuata res publica quædam vitur. Ratio est iusta, quamque omnes ciuitates Academicæ approbarunt. Academicæ enim multis, clarissimis, & doctissimis viris constat, quorum iudicio facilis causam legitimā, quā consuli, aut præfecto vrbis committas. Deinde multæ causæ incidunt, quæ celeri, & quasi è plano dicta sententia egent, cum studiosi ut pote peregrini, facile ab incolis iniuriā accipiant; opus est iudice minime suspecto, præsumitur aut facile, consulis in ciues suos, sæpe cognatos, & affines animū esse propensiorē, quā in aduenas, & quod crebro cōtingit, in gētem finitimā, & exosam: itaque merito ex professoribus, senatoribusque Academicis iudices deliguntur. Hoc tamen plectis; in locis commune iuris axioma seruatur, ut actor forū rei sequatur. Atque esse fundamentum Academicæ veræ, & liberæ arbitror, magistratum, & tribunal habere. Quā ob causam magnanimus, & prouidentissimus antistes Wirtzburgensis Iulius, cum Academiam fundaret, patrem illi cum ordinario tribunali suæ cancellariæ potestatem dedit, nec appellacionem, nisi ad solū priu-

cipem admisit. Merito sane, cum causas grauissimas ipsi principes, iudicio Academicarum sæpe numero submittant. Abusum tamen eius privilegii interdum esse animaduerti, cum benignitate iudiciorum freta iuuentus, inter se digladiatur, aut ad iniurias ciuium insolecit: quod magno Academicarum dedecore, & studiorum noxa, non raro ciues graues obiciunt. Ita Wittebergæ contigisse scribit, paulo ante obitū suū Martinus Lutherus ad Synoridem suam; Tanta enim flagitia fieri queritur, tantamque esse contumaciam, ut ea ferre quatuor elementa nequeant, ita deinde quæsti sunt Saxonie proceres, de Academicorum insolentia. Hæc ut sunt vitanda, ita non continuo, cum in aliquā leuitatem adolescentiæ feruor abripitur, exagitanda Academia est, & privilegia imminuenda, cum vitia iuuentutis sedatissime, & facillime per moderatores suos corrigantur; Et sane principes inducti centauricis quorundam aulicorum consiliis, grauiter delinquant, cum auctoritatem illis demunt, per quos solos motes sanctos reducere possunt. Quasi vero non in ipsis vrbibus, imo aulis principum grauiora sint, quā in alumnis Academicarum peccata, & principes tamen familiarium delictis, sceptrā sua sibi excuti nollent. Magnū iudicio tanta libertas studiis concessa est, ita Bononiæ, Patris, Moguntinæ. Moguntinæ sane Academicæ primū privilegium ita habet; q. Dietherus Archiepiscopus dedit. Elargimur itaque, cōdonamus atque concedimus presentium vigore literarum. In primis Doctoribus, Magistris, Scholaribus siue studentibus dicti nostri studii Moguntini Iudices, Rectorem & Conservatorem Vniuersitatis, & Ordinarium loci quos de iure habere possunt. Forū rei sequi actorem statuta æquissima imperant; hoc enim ius commune iam olim decreuit. De processu iuridicali sic noster fundator constituit. Vt autem incorporatis Vniuersitati nostræ circa obseruationem iudicarij Ordinis, decisionemque causarum prouideatur. Volumus & ordinamus, ut Rector de causis, & questionibus quibuscunque, inter incorporatos prædictos emergentes cognoscere habeat & valeat. Qui si ut suspectus ab aliqua partium recusatur, arbitros eligit, & alia, quæ circa hoc iura prouident, obseruari volumus. Nec æmulari, aut detractum suæ dignitati aliquid iudicare debent Consules, Senatores, Prætores, Iudices, si quædam Reipublicæ pars alios habet rectores, & quidem proprios, cum ipsi suos filios præceptoribus, & pædagogis committant; Quis enim cum Patavium, aut Bononiam ad scientiarum mercatum liberos ablegat, ciuicis, & non Academicis magistratibus eum subesse æquum censet?

§. 8. Secundū est, ut professoribus artium, doctoribus legum, eorum vxoribus sit immunitas, ab omnibus muneribus ciuicis, & publicis, etiam ab hospitum susceptione; ita Constantinus censuit. In hac sane causa nostræ Academicæ fundator munificus fuit: Verba donationis ita habent. Item doctores, magistri, & studentes nostræ Vniuersitatis, utpote notarii, & pedelli in persona, & rebus ad eorum victum, amictum & usum pertinentibus immunes sint, exempti & liberi à prestationibus, & solutionibus publicis, per ciuitatem, & Diocesim Moguntinam, per terram, siue per aquam impositis & imponendis, & ad Archiepiscopos Moguntinos pro tempore spectantibus, nec ad solutionē dati, gabellæ, vectigalis, telonis, & alterius cuiuscunque, rationis quocunque nomine censentur teneantur aut cogantur, quouis modo, dolo, & fraude prorsus cessantibus. Et hanc quidē concessione, & gratiā de magistris, & scholaribus intelligi volumus, qui etiā collectim in domibus, siue burfis commorantur, ac studentibus, qui de licentia Rectoris obtenta in domibus siue stantiis extra burfas morantibus, & se familiamque suam proprio sumptu, & expensis alunt. Item cum literarum professores disciplinamque ac moribus instituendi summe quies deceat, & qui meliora seclantur, à tumultu fore alienos. Volumus & Ordinamus, ut Rectoris, Doctorum, Magistrorum & studentium domus, & habitationes, & præsertim Scholæ, in quibus collectim doctores, magistri & studentes cohibeant, quas vulgari eorum more burfas vocant, aut in quibus honesti studentes de licentia Rectoris

Academia  
sceptrū est.

Saxonica-  
rum Aca-  
demiarum  
corruptio  
querelas to-  
tius gentis  
mouit.

Qui docen-  
tibus aufert  
auctoritatē  
iuuentutis  
est corruptor.

Moguntina  
Academia  
libertas.

Magistra-  
tus Aca-  
demico filios  
subesse ma-  
gnates vo-  
lunt.

Moguntina  
Vniuersitas  
est immu-  
nis à ciuicis  
oneribus.

Moguntina  
privilegia  
contra in-  
uolantes.

petita, & obtenta morantur, & se, familiamq; suam proprio sumptu, ac domestica punctione gubernant hac perpetua immunitate gaudeant, ut nemo officiali, familiarum eius, cursumq; conditionis status, aut qualicūq; sit etiā latissima cōmissione cōstitutus, dictas domus sue mansiones cumuluose, aut ductis ruinis inuadere, prorumpere, aut violare psumat, fraudulenta fictione, aut falsa occasione prius semota. Et p̄terea nullus officialium, aut alia quacūq; Ecclesiastica, siue secularis persona, in ciuitate nostra Moguntina aliquē, siue aliquos ex Doctoribus, Magistris, studentibus, siue eorum familia inuadere, offendere, vimq; aut iniuriā inferre p̄sumat: Si q̄s vero huius nostrae cōcessionis, quod absit, contemptor repertus fuerit, nostram indignationē ac penam pro modo offensionis, doli, aut culpa huiusmodi, infligendam se nouerit incursum. Et 7. Item volumus, quod nullus de nostris officialis, & officialibus aut aliis quibuscūq; laicis, siue ciuibz ladar, offendat, turbet, aut alias quouis modo in periculum ponat aliquem Doctorem, Magistrum, aut studentem verbo vel facto, directe vel indirecte omnibus fraude, & dolo semotis pena sub predicta. Cum vero omnes qui Scholae Reſtoris id faciāt, omnes quoq; illo priuilegio vtuntur. Hāc quidem de oneribus personalibus clara sunt, deq; bonis illis, quē tanquā salaria dantur; de patrimonialibus vero nec legē intelligi puto, nec cōsuetudo hoc permittit. Ne vero priuilegia illa inclat Academiae, aliorum administratorum ignorātia, vel malitia infringere, voluit sapientissimus fundator, omnes vrbis Moguntinae officarios, iureiurando de immunitate Academiae seruāda astringi. Ita verba habent. Itē quilibet officialis huius nostrae ciuitatis pro tempore existēs iurabit in manus nostras de seruando illos doctores, magistros ac studentes p̄memoratos in personis, rebus & bonis ipsorum & de non contrahendo dictis priuilegiis, sed quod manu teneat eos, res & bona ipsorum ac priuilegia siue predicta, ac infra dicenda pro posse, & nosse.

## CAP V T XV.

**Plurima alia priuilegia studiosorum esse, & quanam illa.**

**§. 1.** **P**lurimas concessit Pontifex, & Imperator, singuliq; principes, & Respub. cū vero antiquiorum Academicarum priuilegiis soleant sequentes donari, sit ut vno verbo plurima cōcedantur. Quemadmodū in hac nobilissima Academia factū videm⁹, de qua ita loquitur Sixtus IV. Pontifex. Ad laudem diuini nominis, & eiusdē fidei Catholicae propagationem, in eadem ciuitate Maguntina studium generale auctoritate Apostolica reuocato p̄sentiu perpetuo erigimus, constituimus, & ordinamus, ac dicta auctoritate statuimus, & etiā decernimus, quod de cetero perpetuis futuris tēporibus in illa studiū generale vigeat, ad instar Bononiensis, Parisiensis, & Coloniensis studiorū predictorum tam in Theologia, Iuris Canonici, & Civilis, quā alia quolibet licita facultate siue scientia, quodq; magistri in Theologia, Doctores legentes ac studentes inibi omnibus & singulis priuilegiis, libertatibus, exceptionibus, immunitatib⁹, gratiis, & indulgentiis, quibus alii Magistri, Doctores, legentes & studentes in Bononiensi, Parisiensi, & Coloniensi studiis gaudent & vtuntur, vti, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & in super illi, qui p̄cessu temporis gradus inuenerint in qualibet ex facultatibus licitis predictis, in qua studuerint, sibi docendi licentiam, ut alios erudire possint, ac vt aut Magisterii seu Doctoratus honorem elargiri per Magistros seu Doctores illius facultatis siue scientia, in qua fuerit examinatio faciendā.

Tribus praeſtatissimis Academicis Bononiensi, Parisiensi, Coloniensi, Moguntinam fundator exaequat, quā dignitatem illa hactenus ita tuetur, ut nō modo ex Germania, Polonia, Belgio, sed etiam ex cultissima Gallia illustres, & doctos numerarit semp auditores.

Ne igitur quispiā ignoret, quanto fauore Monarche studia prosecuti sint, neq; ipsi studiosi, suorum bonorum sint nescientes, centum illa & octoginta priui-

legia, seu potius capita priuilegiorum, & rubricas, ex consultiſſimo Petro Rebuffo adſcribere, animus est.

**§. 2. Priuilegium ex Rebuffo primum.**

Omnibus diebus festis studere, publice profiteri, disputare cōcessum est. Nempe postquā diuinis officiis cultus impensus est. Veritum putat Rebuffus, si lucri causa fiat, vt si aduocat⁹ principaliter lucri causa, studeat die festo. Quā in re nequaquā illi assentior nam quamuis lucri causa studeat, non est tamen seruile studiū, & lucri cupido, honestū finem pōt fortiri. Nec Ecclesiastica lege lucrū, sed opus seruile vetatur,

**Secundum.**

Licet & in tēplo studere. Exceptiones Rebuffi generales sunt. Non studere tempore quo obligaris audire sacrificium, aut vetitis studere artibus quod nec extra templum quidem licet, in templo tamē grauius est delictum, quia domum Dei facit domū nequitiae.

**Tertium.**

Possunt scholares domo propria fabros expellere, si studia strepitu interrumpunt. Magnum est hoc, & pene inuidiosum priuilegiū. Citat tamen iura in hanc rem Rebuffus; Imo in morte Pessulano se textorem cantu studiosos impediētem pepulisse, cum n. magistratus iuribus studiosorum auditis, importuno musico p̄cepisset, vel submissius caneret, vel cederet, ille domum deferre, quā vocē moderari maluit.

**Quartum.**

Huius priuilegii causa potest agi die feriata, ita ille. Verum non nisi virgē causa id concedendum puto. Causam legitimam puto. Si ob caniculares, aut alias vacationes aliquot hebdomadam iustitum esset, tū enim ne integrum Collegium studiosorum diuturnā turbationem p̄ferre cogeretur, etiam die festo res decidi posset.

**Quantum.**

Hāc causa de plano, & summarie potest tractari, & finiri alioqui integros annos studia possent impediri, cum lite pendente possessionis vsum retineat malleator, nec facile studiosi longas lites suscipiant.

**Sextum.**

A sententia lata contra malleatorē, non datur appellatio. Id vñ, & nisi fallor aequitate abrogatum est, cur enim hoc negetur, si de sententia queratur?

**Septimum.**

Scholaris potest cogere ad elocandum sibi domū, cubiculum, equum, verū vsum eius priuilegii nusquā vidi, & sane p̄stat omnino illo nō vti, cum ius illud, ne inuitus rem alteri locare cogaris, nec peregrinum in familiam admittere, valde sit rationi cōsentaneū: Et magni periculi est alieno domum elocare. Vsum sane, nullo vnquam loco animaduerti.

**Octauum.**

Studiosum domo locata expellere non potest dominus, quamuis domo iple egeat. Si videlicet ea causa, studia relinquenda forent.

**Nonum.**

Finito tempore locationis, si studiosi tantundem atq; alii soluere volunt, preferri debent. Nisi forte, vt fere fit, deteriorē domum faciet studiosorum, quam aliorum inhabitatio, aut sane si parum commodis sint moribus.

**Decimum.**

Si doctor, vel scholaris domum alteri scholari locatam conduxerit, ante tempus locationis finitum, est excommunicatus.

**Vndecimum.**

Si recedat iusta de causa ante tempus finitum, non pro toto anno, sed pro rata tantum soluere tenetur.

**Duodecimum.**

Studiosus recedens de domo conductā, potest alium in locum suum subrogare. Ita tamen vt nullo modo reddatur locatoris conditio deterior.

**Decimum tertium.**

Si statuto ciuitatis caueatur, ne quis plus frumēti, quam pro vñu emat, si pro anno emat scholaris, & ta-

Omnes vrbis Moguntina iurāt, se Academicam priuilegia seruaturus fari, recta.

Moguntinae Academiae iurāt, se priuilegia Academiae seruaturus fari, recta.

Moguntina Academia gaudet priuilegiis Bononiensis, Parisiensis, Coloniensis Vniuersitatis.

Rebuffus 180. studiosorum priuilegia collegit.

Studere die festo licet.

In templo.

Fabros strepentes domo pellere.

Etiā festo die iudiciū hac de re dari potest.

Es de plano.

Negatur appellatio.

Studioso la care non nulla coguntur.

Studiosus domo pelli non potest.

Ceteris pauciores praferantur studiosi.

Ante finem locationis non potest conducere alius.

Discedens pro rata soluit. Discedens subrogare potest.